



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

NATIONALBIBLIOTHEK
IN WIEN

114549-B

ALT-

107. F. 173.

I V S M V N D I
V N I V E R S A L E.

Q V O D

EX SENTENTIA VETERVM ICTORVM

P R A E S I D E

CAROLO FERDIN. HOMMELIO

ACADEMIAE LIPSIENSIS HOC TEMPORE RECTORE
ET ICTORVM ORDINARIO

DIE III. NOVEMBER CICCCCLXIII.

PRO OBTINENDA DOCTORIS

D I G N I T A T E

P U B L I C E D E F E N D E T

IO. FRIDERICVS ROSSELET DE CHARPILLOT

HELVETIO - BERNAS.

L I P S I A E
EX OFFICINA LANGENHEMIA.

114549-B

2. 12. 1911 15. V. 11

THE UNIVERSITY

OF TORONTO

THE FACULTY OF LIBERAL ARTS

COLLEGES

UNIVERSITY COLLEGE

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY
UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY



PRAEFATIO PRAESIDIS.

Ante sedecim annos, cum vacantem Iuris Naturalis Professionem novellus doctor amitterem, nihilque obiceretur, nimis tenerariam petitonem esse propterea, quod nihil unquam ex hoc doctrinae genere publicasse, iuventili feroce abruptus, ut hanc exprobationem remouerem, paucorum mensium spatio, obtinendi ministeris causa, Propositum de novo Systemate Iuris Naturae et Gentium ex sententia veterum Iudiciorum concinnando, sive de Iure quod natura omnia animalia docuit, Lipsiae 1747. 8. quam citissime poteram et festinanter conscribem. Is extemporalis libellus, non mirabile, si ninius rufus et imperfectus.

PRAEFATIO PRAESIDIS.


Excursiones in eo praeter necessitatem grammaticae, emblemata nimis frequentia et variae, neque illae magni momenti, obseruatunculae spissiorem librum fecerunt, sed abnormem, ut, quod raro fieri solet, ipsi, mox cum prodijisset, displiceret auctori. Attamen, cum iam dudum huius opusculi exemplaria frustra in tabernis quaererentur, me docti homines rogare, illustris etiam V H L I V S Francofurtanus Antecessor, plurimis epistolis exposcere et flagitare, ut editionem iterarem. Ego vero renuere et rem nimis taediosam deprecari, utpote qui facile praeuidebam omnia transformanda, neque lima mihi, sed dolabra ferraque, ut nouum plane aedificium extrui possit, opus esse. Interea illud inopinatum accidit, ut ante hos quatuordecim dies generosa indeole doctissimus IO. FRIDERICVS RO SSELETVS DE CHARPILLOT, Bernas, mihi tantopere amatus, ut petenti denegare possem nihil, me accederet et humannissimis precibus sollicitaret assidue, ut, quoniā triūti de Patris morte accepto nuntio, ei auolandum et breui tempore, Lipsiae valedicendum sit, meum praesidium non denegarem atque ex iure naturali inauguream disputationem conscriberem, quoniā ipse suam, quam de publico Heluetiae statu delineauerat, absoluere penitus et ad finem perducere non posset. Molle mihi cor, et precibus flexible. Quid facerem ego, qui, fateor enim, vix alium inter auditores hoc R O S S E L E T O chariorem habeo, adeo honestus, probus, supra actatem prudens, urbanus et doctus est. Anqui ergo, licet mihi molestissimum

mum esset, hoc tempore, rem adeo difficultem et absconditam meditari. Feci tamen et meum, quem supra dixi, libellum coepi legere, et legendo reformatum, in quo quantum angustia temporis pateretur, in meliorem ordinem redigere. Singulare sene nostrae doctrinae fatum, ut quoties proponendā sit, et exponenda publico, festinatissima id fieri solet. Interēs non alia melior R. O. S. S. E. L. E. T. O. meo materia placet; unde is imprimitur, hanc rogare, monere, instare saepius, ut ipse tandem persentiscerem, quandam ex iure canonico forte aut iure civili materiali, licet in his R. O. S. S. E. L. E. T. Y. S. egregie sit versatus et suae scientiae in examinib[us] documenta illustria ediderit, tamen, cum barum legum exiguis, ac fere nullus, in Helvetia ius fit, vix conpopularibus suis quibus se commendare cupit, placitaram esse. Videbatur etiam haec materia in angustali disputationi optime conuenire, si quidem de iure agit, quod natura omnia animalia docuit, et ex sententia veterum I[uris] C[on]stitutorum ius uniuersale proponit. Si enim proprius hunc scriptincularum intureare, non est alia, quam copiosior in L. 1. §. 3. et 4. ff. de iust. et iur. L. 5. eod. L. 1. §. 10. de aqua et aqua pluv. L. 26. ff. de reg. iur. commentatorius. Nempe ius nostrum non solum collectum est ex ciuilibus dictatis, verum etiam ex naturalibus praeceptis et institutis gentium variis: L. 1. §. 2. ff. de iust. et iur. Sic nunc casu singulari, expectatum diu exit denuo nostrum de nouo systemate iuris naturalis Propositum, sed plane reformatum et nouo in habitu, qui fere

PRAEFATIO PRAESIDIIS.

nibil cum priori communione habet; Sic tunc prae-
tura mea partum; sic habent, quod ille dixit, sua fati
libelli. Et autem titulum praefixitus alius, ita
omnia, quae illo scripta, eo modo commutari, ut ut-
bil suo loco restiterit. Abieci fere omnia, pauca retinui,
addidi plurima. Vbi tantum quidam ex illo veteri Proposito
in hoc Ius Mandi receperimus, verba, ubi mutare non
opus erat, retinere non puduit. Caeterum in praesenti
disputatione periculum fecimus, geometriae iusto et aequo
aptandae, imo numeris, punctis et lineis officia hominum,
bonores, poenas et praecepsa dimendi, quod plane nouum
est, neque ab ullo tentatum. Habent ergo Lectores in hisce
paucis plagulis illius prioris Operis, siue, ut titulus habet,
Propositi et totius systematis nostri non dico epitomen, sed
omnem omnino materiam, inutilibus reiectis, additis
contra quamplurimis rebus iisque necessariis, ut in ta-
bernis illum priorem libellum, quem per praesentem di-
putationem penitus abolemus, requirere amplius operae
pretium non videatur. Si quis tamen historiam istius a
nobis abdicati libelli, et quibus notis haec doctrina a
damnata SCHMVSII discrepet? scire cupit, hunc
ad Litteraturam iuris nostram, in qua de ea re satis copiose
actum est, alegamus.

CAPVT I.



C A P V T . I.

De principali causa omnium in iure naturali controversiarum.

Percunctanti mihi saepenumero, quaenam controversiarum, quas iuris naturae interpres de iuris naturalis principio tot seculis egerunt, praetipua causa sit, apparuit tandem, si non omnes, plerasque tamen ex hoc potissimum fonte promanaesse, quod nonnulli hominem ut metum animal, caeteri autem eundem hominem, neglecta eius animali parte, tantum ut rationalem socialem contemplarentur. Hinc illae inter ZENO NE' M atque P I C V R V M immortales discordiae, hinc illae graues, quae recentiori aetate Grotii et Puffendorfi discipulis intercesserunt cum Hobbesii et Machiauelli secta, inimicitiae. Cum enim G R O T I U S lege naturali a sola hominis natura, tanquam vno fonte, deriuata humanitatem et socialitatem, instinctibus animalibus, quos C I C E R O *Prima Naturae* vocat, omnino praetulerit, sensusque ferinos honestati et rationi saepe contrarios ne minimum quidem audiendos esse praeceperit; H O B B E S I O autem in contraria abeundi absurdum videtur, si quis partem toti, et speciem generi anteponere audeat, istque communes omnium animalium leges nullo modo propriae vnius, nimirum hominis, naturae subiiciendas esse statueret, facilius aquam igni, quam illas toto coelo terraque dissidentes opiniones, conciliaueris. Ambo autem, ut initio statim summam nostru et caput totius libelli aperiamus, lineas in eo transiliisse videntur, quod animal ab homine, hominem ab animali distraxerunt. Cum enim neque mente sola et ratione, neque etiam corpore tantum consistamus et thera animalia simus, sed duplex vis naturae reperiatur in homine, quarum vna in corpore et appetitu collocata, altera vero in ratione aliisque proprietatibus, quae nos a bestiis distin-

GESTA V. M. V. N. D. I.
distingunt, posita sit, ex duplice hominis parte, duplia pariter
aura et obligationes oriri necesse est. Saltēm factōr ex illis, quae
circumferuntur, plus quam viginti de principio iuris naturae opis
nionibus, me nondum inuenisse, quod omnes legis fundamentalis
requisita contineat.

C A P V T II.

Non unum sed duo esse iuris naturalis principia.

Cum itaque praeter illam, quae tantum ex propria hominis na-
tura profluit, *Socialitatem*, ex qua non omnia officia deriuari
posse, iam doctissimi animaduerterunt, aliis fons iuris naturalis
quaerendus esse videretur, tempestive in mentem mihi venit istius
yeteris Iureconsultorum sententiae, qui aliud ius quod sit proprium
hominibus, aliud autem quod natura omnia animalia docuerit, con-
stituentes, probe et eleganter officia, quae veniunt ab ea parte,
qua homines sumus, ab iis quae ab animali nostra indole proficiscun-
tur, distinxerunt. Hoc enim verissimum puto, ab unico prae-
cepto non posse omnia officia deriuari, sed ad minimum opus esse
duobus. O vero acutum et praeclarum (audio enim e vulgo ita
non neminem vociferari) o excellentem iuris doctorem atque phi-
losophum nostris temporibus dignum! qui contra diu stabili-
tas regulas artis et morem a maioribus traditum inculcatumque
discipulis, vnius doctrinae duo principia obtrudere audeat! Ignoscas
vero, vir subtilissime quisquis es, ingenuie fatenti, nullam sibi no-
tam esse disciplinam, pragmaticam in primis, quae ex unico semine
tota excreuerit. Nam ut de jurisprudentia et theologia, quae man-
ifeste duobus fundamentis, scripto nemirum et naturali ratione
mituntur, atque de medicina nihil dicam, quae immunerabilibus ne-
turae obseruationibus insistit, hoc unicum e vobis, o philosophi,
quaero: vtrum in ipsa philosophia ex illo: *Nihil potest simul esse*
et non esse, omnia vestra hauseritis? Angusta erat et admodum con-
tracta illa penus sapientiae futura, nisi experientia magistra inter-
caetera

ex altera etiam hōc: *Nihil sine causa fieri posse, compertum habuisse*. Neque his duobus contentus, LIBNITIYS, terrium *In-*
discernibilitatis principium, ut ipse vocat, adiiciendum putauit.
Quidam in ipsa Geometria, qua tamen non est alia disciplina sequen-
-tiā, ne omnia quidam ex una propositione deducuntur. Ex quib-
-us manifestum est, cum reliqua philosophia etiam tria, imo plura,
-principia admittat, firmata doctrinae id minime obesse, si etiam
-duo in nostram iuris disciplinam adsciscantur. Quid ordine natu-
-rae et mundi compage aptius, quid omnino? Nonne vero illa re-
-enim omnium pulcherrima universitas ex multis, usque sibi contrariis
-elementis composita atque coniuncta est? Quae cum ita sint, nemo
-smihi vitio vertat, si primae regulae GROTI aut PVEFENDO R-
-TRI aliam ex animali hominis parte deriuatam adiungamus. Ne-
-que enim unum esse, ut reliqui opinantur, iuris totius fundamen-
-tum breviter quidam accuratissime tamē hoc ratione demonstra-
-tur. Animaduertimus scilicet officia saepius inter se pugnare. At
-si unum tantummodo, ut illi volunt, iuris sit naturalis principium,
-quomodo quae collatura sint? Sane quae ex una propositione de-
-ducuntur; illae conclusiones sibi contrariae esse nequeant. Quan-
-taque officia et iura inter se collidunt quam saepissime, non potest
-esse omnium eadem ratio, neque idem principium.

C A P V T III.

*Iuris Naturae et Gentium differentia secundum veteres
Iurisconsultos.*

Vt autem de iurisconsultorum veterum, quam maximopere
-probo, sententia, quod coepitam, prosequar, illi ius Na-
-turae a iure Gentium hac ratione se junxerunt, ut dicerent, IUS
-NATVRAE illud esse, quod natura omnia animalia docuit. Nam
-id ius non humani generis proprium videri, sed commune omnium
-animalium, quae in terra, quae in mari, quae in coelo nascuntur,
imo ipsas quodammodo plantas huiusmaris participes videri, IUS

GENTI V M autem vocarunt, quod solis hominibus inter se commune sit. Ex qua V L P I A N I definitione statim intelligitur, veteres iuris gentium nomine auditio longe aliam rem intellexisse, quam nos hodie eodem vocabulo significamus. *Nos*tra enīca metabē ius naturae et gentium fere vnum idemque videtur, vt ipsa definitio recentiorum declarat, qui ius gentium nihil aliud esse perhibent, nisi quandam iuris naturae ad statum liberarum gentium applicacionem. Qualis hic quæso, cum in veroque eadem plane praecepta assumantur, cognoscitur esse diuersitas? Recentiores quidem, ubi ius gentium tradunt, tametsi loco singulorum hominum vniuersos populos ciuitatesque collocent et noua quaedam vocabula, vt legationis, captiuitatis, foederum, maiestatis et alia huiusmodi in iure naturae puro non obuenientia in medium proferant, hoc tamen ad constituendum verum utriusque discriminem parum aut nihil valere poterit. Mellus igitur iureconsulti veteres, ex quorū sententia omnino nihil commune habent naturae leges cum iure gentium. Nam utrumque ius ex suo, eoque peculiari, fonte oritur et plene diversi utrinque, vt ita dicam, legislatores sive auctores comprehenduntur. Illic enim propria viuis cuiusque utilitas, sive seruitiū instinctus, in iure gentium autem instinctus tantummodo humani aut vetant, aut præcipiunt omnia. Secundum eam significationem igitur, quam veteres iuri naturae et gentium, vt diximus, attribuerunt haec verbā in germanicā lingua: *Das Natur und Voelker Recht*, admodum viciose conuertuntur, cum sensu veterum Ictorum conuenientius ius Naturae et Gentium dicendum sit potius: *Das Thier- und Menschen-Recht*.

C A P V T IV.

Domina et Pacta ad Ius Naturale non esse referenda.

*V*t autem quatenus iura et officia ad unum quodque eorum referenda sint plenius intelligatur, duas regulas formabimus, quae una ad ius Naturae pertinentia haebet, et una proprietas gentium.

Quicquid

*Quicquid in omni animali reperitur, de hoc, quin iustum sit,
dubitari non potest et refertur ad ius Naturae.*

Altera de Iure Gentium haec esto:

*Quicquid apud omnes homines pro iusto reputatur, neque
tamen reperitur in bestiis, illud non est iuris naturae, sed
Iuris Gentium.*

Secundum haec, ad ius naturae pertinet defensio sui ipsius, et ut
quod quisque ob tutelam corporis sui fecerit, iure fecisse existime-
tur. *L. 3. ff. de iust. et iur.* Nam cum omne animal simul atque
editum est, seque suosque a vi illata defendere, leones praedam,
volucres nidos pullosque tueri, nec non parvas apes ab operis suis
repellere fucos et pro melle depugnare videamus, quin nobis ea-
dem liceant, dubitare nulla ratione debemus. A iure gentium
vero dominia et pacta veniunt, vtpote quae non ex iure naturali
descendere, sed deum iure gentium introducta esse, eleganter
Hermogenianus iureconsultus *) demonstrat, cui etiam
Poeta assentitur his versibus:

*En propriae telluris beruni NATURA nec illum,
Nec me, nec quenquam statuit.*

Cum enim ad ius naturae ea solum referenda sint, quae in solis ani-
malibus deprehendimus, satis pacta eo referri non possunt, quia
non animalia, sed solos homines, inter se pacisci animaduertimus.
Pari ratione animalibus dominia nulla, vt quondam ne hominibus
quidem, qui, cum adhuc in statu naturali viuerent, rerum suarum
tantum possessores, non domini, essent. *L. 1. §. 1. ff. de acquir.
vel amitt. poss.* Ut itaque generaliter dicam, omnia pacta, fidēs,
adulterium, falso, dolus et huiusmodi vocabula videntur iuri gen-
tium propria, iuri naturae autem plane incognita. Si iureconsultos

B 2 ROMA

*) *L. 5. ff. de iust. et iur.* Ex hoc iure gentium discretae generis: regna condita:
dominio distincta: ognis termini positi: commercium, emiones venditiones, la-
cationes conductiones, obligaciones institutac, exceptis quibusdam, que in ti-
mili introductae sunt.

Somnos audias, ipsa nec laesio, nec damnata, nec iniuria verba naturae sunt. Utuntur enim, ubi de animalibus loquuntur, peculiari verbo, quod est *Pauperies*. Haec in iure naturali eadem est, quae in humanis iniurias. Bestias enim, immo ipsos homines, in statu naturali collocatos, pauperiem quidem, non autem damnum facere dicuntur. Itaque ut stipulatio, peculum, concubinatus, acceptatio, arrogatio et id genus alia verba ciuilia sunt et nulli populo, nisi Romano, cognita: sic ista, quae enumerauimus, pacia nostra et dominia non ad ius Naturale, sed ad ius Gentium referuntur. Denique tertiam superioribus adiungo regulam:

Quod neque ad ius naturae, neque ad ius gentium referri potest, atque tamen pro iusto reputatur, illud omne ad ius ciuile pertinet.

Hoc ius autem in adiaphoris versatur, atque illa potissimum definitur, quae arbitrio iudicis alias relinquenda forent, v. c. an cum liberis legitimis illegitimi succedere debeant? an in fratri successione fratri liberi cum caeteris defuncti fratribus iure repraesentationis succedere debeant? et quae sunt reliqua. Interdum quaedam propter politicas rationes in utilitatem ciuium contra ius naturae inducuntur, ut Scum Velleianum et Macedonianum, quae neque naturali neque gentium iuri consentanea, item: ut solvere non tenearis, quod in aera perdidisti; Anatocisni interdictio, et quae sunt reliqua.

C A P V T V.

Animantia bruta iuris Naturalis doctores.

Illud autem in hac Jurisconsultorum veterum doctrina in primis laudo, atque admiror, eos, propriae cognitione naturae haud contentos, generoso animo nos ad omnium vocasse animalium, ino ad totius mundi contemplationem. Est enim naturae observationis iuris studio maxime necessaria, si quidem, ut CICERO ait, qui conuenienter naturae victurus sit, proficisciendum sit ab omni mundo et ab eius operatione. Nec enim posse quenquam

quam de bonis et malis vere iudicare, nisi omni cognita ratione rerum et diuina pariter atque animali natura rite explorata, vt scire possit, quantum conueniat natura hominis cum vniuersitate? E P I C Y R V M, historia tradit, ab animalibus testimonia quasi praeiudicia arcessere, nec non canes, scarabaeos et asperes specula naturae appellare consueuisse. Mihi eodem modo bestiae videntur quedam quasi leges viuuae, quas inspicere et in re dubia consulere iubemur. Sane, quem illud in foro positum praetoris Album, quem tabulae atque columnae in ciuitatibus praestant, eum plane habent in naturali iure animalia vsum, quae ipsa, tametsi sensu iusti et aequi plane careant, tamen signa voluntatis diuinae longe clarissima produnt, ex quibus illicitum quid sit, aut licitum? a sapientibus cognosci intelligique possit. Si me audias, Ius naturae in latiori significatione, qua utrumque ius, et naturale et gentium, continetur, hoc sensu inquam I U S N A T U R A E est: *voluntas Dei, non litteris, sed signis, in vniuersum mundum scriptis, manifestata.* Tametsi itaque homo etiam in illo grandi volumine diuinae voluntatis litteram faciat, saepius tamen vitam animalium intueri praestat, quam naturam hominis, quia in bestiis naturae instinctus longe illustriores clarioresque apparent, quam in hominibus, in quibus videlicet consuetudo, tanquam altera natura, istos naturae igniculos superesset, ita interdum extinxit. At, e contrario, in brutis proprietates, *Natura, tuas maxime singeras et intemeratas conseruasti.* Verum de ea re commodiori loco, Nunc in iure Naturali instinctus docebo, non humanos, sed ferinos dominari, vt, si hos sustuleris, omnino ius Naturae sustulisse videaris.

C A P V T VI.

Instinctus esse prima totius iuris principia.

Neque tamen addubito multos futuros esse, qui cum *Prima Naturae*, quae notiori vocabulo *Instinctus* appellamus, toties commemorari audiant, aures arresturi sint, quod intra scholarum

parietes id verbum prauo potius, quam bono sensu, ut plurimum ad-
 hibeatur. Quid autem? estne inter philosophos, quos fracti or-
 bis ruinae inpauidos feriunt, estne inter eos quispiam, qui verbo
 terreatur? Absit vero a me longissime, ut talia mihi persuadear, eos
 que offensum iri credam, si prius Naturae Prima, quaenam sint?
 perceperint. Dico nimurum Instinctum naturalem necessitatem
 esse agendi homini et animalibus caeteris a natura impositam,
 ut certis obuenientibus rerum speciebus simpliciter hoc, quo
 agunt modo, agere cogantur neque aliter plane facere possint.
 Huius autem, quam dixi necessitatis ratio, cum in ipsa constructio-
 ne corporis posita, ingenitaque sit non homini tantum, sed belluis
 omnino omnibus, adeo, ut tanquam instinctu inflatuque diuino
 in utilia ferantur, ut victum quaerant, ut libertatem appetant et
 seritutem detestentur, ut vim illatam propulsent, ut mas et foemi-
 na coniungi studeant, ut ad educendam sobolem ipsa matres natura
 adigat, an haec, quaeso, aliaque huius modi mala cuiquam vide-
 buntur? Hoc autem in primis arguento, quod Prima haec Natu-
 ralia a Deo sunt, omnium bonorum D A E D A L O profecta, mala
 esse negamus. Nam natura duce errari non potest, huic assentiri
 vera deum; ac perfecta sapientia videtur. Hinc ratio petenda,
 quam ob rem Romanorum iurisconsulti tam alaci studio animalium
 vitas expiscarentur et propter iusti scientiam omnem, quo usque pa-
 tet, naturam pertentarent. Et merito quidem. Quod indicium
 enim certius? quae ratio luculentior esse potest, aliquid numini
 non displicere diuino, quam si ostendatur, eum appetitum, de
 quo quaeritur, omnibus animalibus inesse. Aut enim omnino
 dicendum est, nullam esse diuinam voluntatem, aut si quaedam
 sit, non alia erit, nisi quae in uniuersum mundum, quamvis non
 litteris, attamen signis, scripta expositaque intelligitur. Consequens
 ergo, instinctibus naturae, tanquam voci diuinae, obsequium praes-
 standum esse. Etenim si significations istae non sunt consideran-
 dae, cur diuinitus in coelo, cur in terra, cur in mari, et omni
 denique animalium genere pictae atque expressae sunt? Est hoc
 profecto

profectio dictatum ex eorum genere, quae sumpuntur, et cum suapte natura perspicua sint, nulla probatione indigent. Nihil enim est (naturalius, quam naturam quae constantissime facit, etiam velle, quia aliqui non factura erat. Itaque fortunas quoquaque modo augere si scilicet contrarii humanae naturae instinctus id non impedianc.) licere, manifestum est. Si auctoritatibus pugnandum esset, iam A R I-
S T O T E L E s dixit: Naturam et Deum nihil facere frustra. Hoc si verum est cur Deus tales in animantibus praeparasset appetitus, nisi iisdem parere debeamus? Nihil sane nouimus repugnantius, quam accepisse hominem a natura facultates quasdam, neque tamen per naturam iis vti licere. Deum igitur aliquid frustra fecisse, cum sine scelere dari non possit, omnes naturae instinctus, si mens et ratio eos temperet, honestos et laudabiles esse, praeumptionem puto ex earum genere, quae propemodum omnem contrarii probationem excludunt.

C A P V T VII.

Instinctum in Ferinos et Humanos distinctio.

Ista vero, *Naturae Prima*, ad duplex genus potissimum referuntur, Quaedam enim eorum communia sunt omnibus animalibus, quaedam vero propria solis hominibus.

Et communes quidem instinctus, quos *ferinos* appellamus, in vitae conseruanda studio, utilium cupiditate, libertatis amore, matrimonii desiderio, vindictae studio, ex quo poenarum iustitia deducenda, sobolis educatione et his similibus continentur. Sed et metus omni animali inditus, ex quo aquitas belli, ob crescentem vicini potentiam, deinde Gratitudo sive appetitus ei bene faciendi, qui de nobis bene meretur, quem non in hominis tantum, sed in canibus et ipsis leonibus, imo cunctis animantibus videmus. Hic fons officiorum, quae liberi parentibus, homines Deo debent. Sic ferinis instinctibus, si non omnibus, tamen quibusdam exempli causa euarratis, necessarium videtur, ut pariter de humanis, si non omnies, attamen potiores recensemamus.

Inter

Inter haec ergo, quae homines præ caeteris animalibus præcipua habent, primo loco illud nominandum, ut plus quam reliqua animantia (nam est in belluis etiam quaedam huius rei imago) imbecillum laesorumque tristis eramur, qui miserationis affectus sœpe etiam in iram prorumpit. Imprimis autem, si a nobis ipsis iniuria profecta sit, longo etiam tempore postquam illata est, ob conscientiam illius cruciamur, nec quisquam facile tam scelerati ac præfracti cordis est, quin aliquando illud domestici tortoris flagellum et nescio cuius furiae faces internae persentiscat, quod primum naturae Poenitentia vocatur. Porro ad humanos instinctus refero *Maledicere*, siue dolorem obtum, si caeteros nostras imperfectiones cognoscere, resciscimus. Ex hoc pacta seruanda esse demonstrari potest. Miror nondum inuenitos esse, qui pectorum sanctitatem demonstrauerit. Plerique hoc sumunt, non probant. Ego vero ita deduco. Ni pactum seruem, alter irascitur, me vero perfidiae pudet. Sunt ergo seruanda pacta. Nam natura homines sic praeparauit. Est et quaedam homini a natura insita mortuorum veneratio, cum constans per omnia secula et apud omnes gentes recepta opinio sit, et mortuos laedi posse. Hinc ultimatum voluntum sanctitas. Deinde huc refero pulchri et decori sensum, quem *Admiratio* sequitur, qua res perfectas amamus, iisque quam summili fieri cupimus. Haec in demonstrandis variis erga Deum officiis usum nobis praestat. Deinde *Gloriae cupiditatem*, siue studium efficiendi, ut alii nostras perfectiones sciant. Item ut, si fieri possit, iuuare alios studeamus atque bene fecisse laetemur. Naturam vero propriam hominis potissimum ratio et intelligentia constituit, quae, ut CICERO ait, vis animi excellentissima est, quia consequentia cernit, principia et causas rerum videt earumque progressus et antecessiones non ignorat, similitudines comparat et rebus praesentibus adiungit futuras. Obiter anno: quae ex ferinis tantum, aut ex solis humanis appetitibus oritur Obligatio, eam nos *simpli-tem*; contra vero illam, quae ex vtrisque oritur, mixtam appellare. *Eesse* autem obligationem, quam instinctus plures signunt, fortiorum

fortiorem altera, quae tantum ex uno alteroue instinctu erit, vel
me tacente unusquisque satis intelligit. Imo inter ipsos instinctus
haec est distinctio, ut alii fortius, alii remissius homines ad facien-
dum quid aut omittedendum, impellant.

C A P V T VIII.

*Instinctus ferinos iuris Naturalis, humanos autem iuris
Gentium principia esse.*

Jam ut ad propositum proprius accedamus, si quis Prima naturae
communis et Prima naturae humanae sagaci animo inter se con-
tenderit, facile animaduertet, illos quidem ferinos instinctus ita
esse comparatos, ut quasi centrum, ad quod omnes se referunt, sis-
tut cuique utilitas. Si itaque concedatur ius Naturae illud esse, quod
natura omnia animalia docuit, negari non potest, fundamentum
et columnas, quibus hoc ius innitur, sive principium Iuris Na-
turalis studium esse querendae utilitatis propriae. Ex quo conse-
quitur, animalia, licet iura ius competant, nullas tamen sustinere obli-
gationes; In hominibus autem non minorem esse iusticiam suo
iure recte vti, quam suis rite defungi obligationibus. Animalia
enim, cum unam tantum legem habeant, quod ipsis lubet, iure
faciunt. Hinc B R E N N V S Senonum quandam regulus, Plutarcho
in vita Camilli nec non Lactantio testibus, Romanorum legatis in-
terrogantibus: quo iure Clusum Hetruriae urbem obsideret? respon-
dit: *Iure naturali, quo is qui minus fortis est, potentiori cedere
iubetur.* Recte ille quidem, nam merum ius naturae, neglecto pe-
nitus atque omisso gentium iure, prae oculis habebat. Verum
hoc commune omnium animalium ius refrenatur humanitatis le-
gibus sive gentium iure. Homo enim prae bestiis accepit illum
in primis miserationis affectum, qui plene vocatur humanitas. Ex
hac nouae et ignoratae bestiis leges oriuntur, per quas libertati ho-
minis naturali et naturae communi ab ipsa natura, propria scilicet,
termini constituuntur, ne licentia in infinitum, neque in aliorum

prorumpat iniurias. Nam isti, quos diximus humani instinctus tendunt prope modum omnes ad utilitates aliorum. Itaque eum ius Gentium in eo a naturali iure recedat, ut ius esse dicatur, quod non omnibus animalibus, sed solis hominibus inter se commune est, facile apparet, hoc gentium ius Instinctibus naturae humanae tanquam principiis vti. Itaque Gentium iuriis primaria regula haec erit: Ut nemini noceas, immo, si absque detimento tui ipsius fieri possit, pro sis, quantum omnino valeas. Nam si violaueris qualibet iniuria alterum, tristitia et nescio quis in animo moeror exoritur omni cruciatu acerbior, cuius timore saepius accidit, ut laedi interdum, quam laedere, utilius videatur. Hac enim potissimum ratione homo a bestiis distinguitur, ut is non ad propriam tantum, verum etiam alienam utilitatem respicere soleat, atque, praeter communes illos cum caeteris animalibus, quosdam etiam proprios appetitus sive instinctus accepit. Ex hoc Ius Gentium naturali omnino contrarium esse facile patet, si quidem hoc iure non omnia facere licet, quae volumus, aut appetere utilia quaecunque videantur, sed aliorum etiam rationem habere, sive ut Lucani verbis dicam:

Non sibi sed toti genitum se credere mundo.

Haec utriusque diuersitas admodum difficile reddit vitae humanae administrationem. Nam Iustitiam facile apparet nihil aliud esse, nisi appetituum ferinorum et humanorum cum ratione susceptam moderationem et temperamentum quoddam, ut neque tibi neque alteri noceas, sed utriusque pro sis. Videtur mihi haec diuersorum affectuum et vitae regendae ratio quodammodo iunctis currii usque efferratis atque indomitis equis comparari posse, in quibus scite moderandis summa rectoris ars cognoscitur. Ut enim ad utrumque oculos auriga, non ad alterutrum, intendere debet, ita vir bonus et sapiens non tantum ad animales appetitus utilitatemque solam, verum etiam ad honestatem atque humanos affectus respiciet, et veramque naturam cum cura solliciteque obseruabit, ne ratione disturbata et currus subuerso in deuia rapiatur.

CAPVT

C A P V T . IX.

Iustitiae Definitio et summa iuris totius regula.

Credo ex his, quae hactenus disputata sunt, quodammodo appetere, quorundam nostra contendat oratio, aut quae sit summa et caput nostri huius de iure naturae et gentium noui systematis. Scilicet neque merum ius animale, excluso gentium sive humano iure, valere volumus; neque contra, ut quondam ZENO, humanos instinctus communi naturae anteponendos esse putamus, sed iunctio tam gentium quam naturali iure, ex vitroque compositam omnis publici priuatique iuris formulam hanc statuimus:

*Sequere quantum potes vere utilia, ut tamen nemini noceas,
sed potius, si sine detrimento tui ipsius fieri possit, etiam
prodeesse studeas.*

Haec ipsa quondam Iurisconsultorum regula Romanorum fuit, si quidem in *L. 26. ff. de reg. iur.* alterius detimento nos locupletiores fieri vetat. *P O M P O N I V S*, cui *V L P I A N V S**) his verbis suffragatur: *Prodeesse sibi unus quisque, dum alii non nocet, non prohibetur.* Secundum hanc doctrinam, ego quidem dabo egenti adinodum libenter, sed ut ipse non egeam; succurrat perituro, sed ut ipse non peream. *C H R Y S I P P U M* audiamus: Qui stadium currit eniti, inquit, ac contendere debet quam maxime ut vincat, supplantare eum, quo cum certet, aut manu depellere nullo modo debet; sic in vita petere, quod pertineat ad ipsum, non prohibemur, alteri vero deripere ius non est; plane ut *C I C E R O*: *Neque rei familiaris amplificatio nemini nocens vituperanda est*, inquit, *sed fugienda semper injuria.* O vero adinodum popularem et iurisconsultorum consensu veterum probatam iusti et aequi inueniendi viam, o facilem doctrinam et naturae maxime consentaneam, qua ab instinctu animali *Iura*, ex instinctibus autem humanis *Officia* deriuamus, neque alium virum *Iustum* esse arbitramur, nisi eum, qui libidines suas i. e.

C 2

ani-

*) *L. 1. §. 10. ff. de aqua et aqua pluv.*

animales instinctus ad normam naturae humanae sapienter moderatur et rationis in statera, vtrum praepositis faciendorum quaestionibus, *Prima naturae humanae*, an vero *Prima animalia* praeponderent? subtili animo examinat. Nempe utile qui miscet honesto, iuncte demum; vt opinor, iustum merito appellauerimus. Ipsa autem *Iustitia* est vtriusque naturae, animalis scilicet et humanae, siue ut aliis verbis dicam, communis et propriae suscepta cum ratione moderatio. Fallit *EPICRVS*, qui solam animatum naturam, fallit *ZENO*, qui humanam tantum praे oculis habet. In culpan ducit vitii fuga, si caret arte ynde nos inter illos tanquam arbitri honorarii medium ferientes nec per omnia hominem similem brutis, nec per omnia dissimilem esse, volumus. Vix enim fieri potest, vt humanitatem penitus exuamus, neque quantumuis Stoici, quantumuis Christiani, naturam animalem omnino deponamus, sed motus actionum nostrarum esse solet, imo etiam debet esse ex vtrisque impulsibus mixtus. Quemadmodum carina, quam ventus et vento contrarius aestus agitat, vim geminam sentit, neque eodem, quo aura, cursu fertur neque tamen contrario, sed obliqua et leuiter inflexa via, prouehitur; ita vir sapiens et iustus neque omnino ab utilitate se abripi patietur, neque tamen omnino tendet contra eandem, sed media quadam via procedet inter animales humanosque instinctus. Aut enim haec, aut nulla, videtur inter homines iustitia.

C A P V T X.

De humana et ferinarum instinctuum conflicitu.

Est autem in nostra iuris naturae et gentium doctrina hoc omnium difficillimum, vt, cum humanos instinctus feriatis iungamus, necessario autem eueniat, vt vtriusque officia inter se collidant, regulam monstremus, quae nobis, si duae leges, una, *utile quaerendo*, altera *neminem laedito*, inter se pugnant, neque ambae simul conseruari possint, viam medianam monstret. Tametsi enim hae duae primariae leges directe et sua natura non configant, (nam in his quae

quae absolute contraria dicuntur, necesse est, vt diuersa praedicta
centur de eodem, quod hic non accidit.) saepius tamen inter se
pugnare possunt *natura pugnacum*. Plerumque enim quod vni pro-
ficit, alteri obesse solet, adeo quidem, vt si quis fortunam fecerit,
semper querere possit, cuius damno? Neque tamen hoc semper
fieri, sed interdum etiam accidere solet, vt prodesse possim alteri,
absque villa propriae salutis iactura. Sin autem prius contingat,
atque utilitatis ratio sive ferini instinctus, cum humana natura sive
honestatis legibus pugnent, quaenam earum virium sit potior ad-
modum est difficilis quaestio, in qua omne ius, omne aequum at-
que iniquum versatur.

C A P V T XI.

Argumenta eorum, qui humanos instinctus praeferunt ferinis.

Offerunt equidem se nobis primo loco rationes admodum pro-
babiles, quibus humanos instinctus sive ius gentium, quod
ex iis oritur, Primis caeterorum animalium praeferendos esse, de-
monstrari possit, quarum vnam PAPINIANVS suggerit *) qui: *In*
toto iure generi per speciem derogari ei illud potissimum baberi, quod
ad speciem directum sit, quod quidem CICERO in secundo de in-
uentione libro ita exprimit: *Quae lex in partem aliquam et quae*
in rem certam scripta est, prontius ad causam accedere videtur ei
ad iudicium magis pertinere. Haec demonstrare videntur; huma-
norum instinctuum prae ferinis rationem habendam esse in hominie,
si quidem haec hominis natura formam speciei, ista vero, quae
communis animantibus insita natura est, generis formam habeat.
Haec forte ratiō fuit, quare SOCRATES, ZENO, deinde GRO-
TIVS et PVFFENDORFIVS honestati primas deferrent.

Cum autem iam aliquoties honesti mentionem fecerimus, ne
ignorato eo, obscuritas oriatur, illud quale sit, breuiter describamus.

*) L. 80. ff. de diu. reg. iur.

Est videlicet honestum, si quis propria commoda alterius causa neglegat. Hoc populari fama habetur gloriosum. Laudare enim hos solemus, qui hoc fecerint et admirari, deinde etiam, quod admirationis proprium est, cupere, ut iis quam si millimi euadantur. Adeoque omnes, qui in dando munificos se praebent, in exigendo non acerbos, qui illatas sibi iniurias, cum possint, non vlciscuntur, imo, quod plane diuinum est, beneficiis rependunt, qui in deuictis hostibus se moderatos praebent, cupiditatibus frenâ iniiciunt feriris, pericula quaeviis pro republica adire et sustinere imo dolores, exilium et ipsam mortem, ut aliis bene sit, perferre non dubitant, illi in quam omnes, fieri aliter non potest, quin plausum atque fauorem totius populi sibi concilient. Itaque ab honore illo, quem haec facta in ore hominum parere solent, ipsam animi affectionem *Honestatem* appellamus. Neque mea est haec verbi definitio, sed CICERO NIS, qui: *Honestas, inquit, animi est affectio, laudabilis efficiens eos, in quibus est.* Nam cum eum, qui sua commoda pro nihilo ducit, ut diximus, summis laudibus extollant, a gloria et honore, quem talia facta pariunt, Honestas appellata est. Haec de honestatis definitione obiter, ad quam nescio quo modo delapsi sumus, cum antea illorum argumenta, qui honestatem utilitati, atque propriam naturam communis praeferre cupiunt, recenseremus. Non legi quidem apud veteres ullam causam, quare Zeno ytile Honestu praetulerit, sed mihi is videtur hoc propterea fecisse, quia in omni iure per speciem generi derogatur.

C A P V T XII.

Argumenta eorum qui instinctus ferinos praeferunt humanis.

Contra vero CLEANTHES, EPICVRVS, HOBBESIVS et MACHIAVELLV, particulari hominis natura penitus neglecta, illam vniuersalem potius cunctorum animalium considerant dicunt. Nam, quia vis corporis et animalis nostra pars potentior est altera, qua homines sumus, illi mentem corpori obedire volunt, omnem-

omnemque humanitatem instinctibus animalis naturae subiiciunt. Naturales enim leges profectas ex vniuerso ambitu huius imminensitatis, qui ipsum etiam inuoluit et secum rapit hominem, anteponendas esse ius, quas natura solis hominibus proprias esse voluit, cum ipsa experientia magistra experiamur, sensus honestatis nobis innatos cupidati, qua utilia appetimus, longe infirmiores esse.

C A P V T . XIII.

Nostra sententia.

In hac opinionum diversitate ego herciscundus rectam viam, quae media est, me intenisse puto, et aequa fortem esse utriusque naturae potestatem, neque ius, quod natura omnia animalia docuit, humanitati, neque hanc communim omnium animalium naturae praferendam statuo, sed ad id soluth, a quanam parte maiora bona eneniant, respiciendum esse, vt tamen lucri cessantis et veri damni, porro etiam diuiduarum rerum atque indiuiduarum rationem habeamus. Itaque ad eam, quae magnitudines metitur, mathematicam scilicet doctrinam quodammodo recurrendum est. Neinpe ad exploranda utilitatis honestatisque momenta homini intelligentia et ratio data est, ad examinandum vtrane praeponderet, et ex quanam earum maiora in mundo bona eneniant? Interea tamen regula sine omni exceptione perpetuum valitura est: non esse quaerendum utili cum alterius detimento. Quibus autem haec obscura videantur, hos rogatos cupio, vt quae subiecimus exempla perlustrare velint, quibus singulis perpetuam doctrinae nostrae demonstrationem admiscuiimus. Has vero demonstrationes vt intelligere atque percipere lectores possint clarius dari nobis haec primum postulatio: Primum: Lucrum cessans minus malum esse, quam verum Damnum. Lucrum autem a damno hac ratione distare scias, vt damnum quidem, quod a demendo nomen habet, tunc contingat, cum aliquid ex patrimonio sive iis rebus, quas reuera possidemus, deminatur, ex quo quidem facile appetit, lucrum cessans ad damna non

nō referendum esse, neque tam grauem in mente dolorem, quam illam iuris iam adquisiti diminutionem parere. Magis afflit, me hercle! animum, si quis amissurus sit, quod iam suum est, quam si quis lucrum non consequatur; et longe habetur grauius, aliquid de bonis suis dimittere, quam non adqtirere; quorum illud quidem *damnum emergens*, hoc a Iureconsultis *lucrum cessans* vocari consuevit. Habere autem rem iure naturali non solum dicitur is, qui iam possidet, verum etiam cui promissa est³⁾. Nulla enim iure naturali inter titulum et modum acquirendi rei dominium differentia *). Succensere enim et irasci solemus illis, qui rem pactam non tradunt, atque fidem datam fallunt. Itaque, vtrum res tradita sit nec ne aliquantulum fortasse, sed parum tamen refert. Dolorem autem, si damnum contigerit, grauiorem esse, quam si spes lucri fallat, non argumentis, sed sensu atque experientia percipitur. Posito itaque et concessio, damnum alterius maius esse malum, quam si vtile non consequar, vitanda erit alterius noxa, et iam si ex ea ad nos utilitatis non nihil redundare possit. Vult enim Deus, vt, quoniam omnibus eodem modo bene esse, rerum natura non sinit, vult tamen ille, inquam, quantitatem malorum hoc modo diminuere, vt ex duobus malis, id quod minimum est, eligatur. Quid enim, cum mundum conderet, sibi aliud is quae posuit, quam vt haberet suae bonitatis argumentum et felicitatem vt possit quam plurimis impertiri. Concedent igitur haud difficulter nostri philosophi, in almo numine eam in primis esse voluntatem, vt omnibus bene, male autem quam paucissimis sit, vt doctores praecaueantur, ut multitudo bonorum in hac rerum vniuersitate mala superet, de quo, si quis velit dubitare, eorum libros, qui de hoc mundo omnium optimo commentati sunt, consulturus, infinita, quae de benevolentia diuina illic prostant, argumenta facile reperiet. Si itaque, vt est certissimum, Deus res a se creatas amat, si earum felicitate delectatur, etiam illud offendit eum, si quis dolores hominum et infortunia augeat, necessario consequitur.

At

3) Grot. lib. 2. c. 6. Huberi digress. lib. 4. c. 8.


At vero iniustum dicimus eum, qui diuinæ voluntati, tamquam supremæ legi non obtemperet. Haec omnia autem ideo a nobis disputantur, ut intelligi possit, in rebus gerendis subtili mente examinandum esse, ex quanam parte majora in mundo bona eueniant, Neque enim nobismet ipsis, sed Deo nati sumus. Hunc offendit, qui homines, immo etiam qui animalia, sine causa violat. Quod autem supra diximus, malum paruum, si cum alio coque maiori malo, quod ita euitari possit, comparetur, boni habitum indueret, iam veteres agnouerunt. Recentiores etiam hoc vniuersum nihilominus omnium optimum ac praeclarissimum dixerunt, si quidem ipsa, quae ei insunt mala, rationem in se continent maximorum quae illi insunt bonorum. Ex his postquam regulam stabiliuimus certam, nempe: in omni vita ex duobus præpositis illud eligendum esse, quod minimum mundo afferat doloris, nunc per exempla eamus, quae hanc intricatam neque satis intellectam iuris doctrinam magis magisque illustrabunt, mentemque nostram clariorem legentibus reddent.

C A P V T XIV.

Quid iustum sit atque iniustum, obiter et generatim demonstratur.

Quaeriunt: an et quatenus utilitates nostras cum alterius damno quaerere liceat? siue, quod eodem redit, si instinctus animales cum primis naturae humanae luctentur nec ius naturae cum gentium iure conueniat, quorsum se aequus sapientis animus debat inclinare? Huius rei infinita dari possunt exempla, nos vno contenti erimus. Deprehensa in moechi turpissimo amplexu, ira quidem et naturalis indignatio imprimit vero illud vindictæ studium, quod animalibus inest vniuersis, maritum ad caedem instigabit maxime, reuocabit autem miseratio et humanitatis sensus, quo a sanguine abhorremus. Quem istorum instinctuum sequetur sapiens? Maximū norunt omnes thorū maritalis violationem dolorem patere, attameu non comparandum, cum affectu doloris, qui homicidas

micias insequitur. Tametsi igitur Lex Julia permittat, non eripiet tamen, qui iura mundi didicit, adultero vitam, quamquam is qui fecerit, non adeo peccare videatur, quam qui innocentem percutierit. Sit in proposita figura



dolor ex adulteri iniuria marito perceptus aequalis lineaे *c d*, contra vero, si hominem e rerum natura tollas malum in mundo enascens et inde proueniens dolor aequalis lineaे *a b*, ergo peccati, si adulteri marito occidatur, non erit illa homicidii ordinaria poena *a b* sed temperata et mitigata *x b*, sive quod fere eodem redit, poenae in homicidas statuae, detrahenda est quantitas *a x*, quae aequalis naturali vindictae instinctui *c d*. Qui autem est gradus poenae, si occideris, is est gradus honoris, si peperceras. Sunt enim poena et turpitudo contraria praemii et honoris. Igitur quae turpitudinis est quantitas si feceris, ea honestatis est, si omiseris. Neque enim aliter fieri potest, quin contrariorum contraria sit ratio.

Quoniam vero seinel ad lineaes et mathematicas dimensiones digressi sumus, periculum faciamus vltius, ex angulis iustum et aequum cognoscendi, imo poenas et praemia definiendi lineaes. Res mira plerisque et insolita videbitur, vt solet in nouis ausis fieri, sed periculum faciamus.

Primum, vt inde potissimum ordiamur, nemo ignorat, quod iam dudum a mechanicis obseruatum, nempe in *Figura I.* Tabulae disputationi inferius annexae, corpus quoddam mobile *B* si duos simul conatus aequales habeat, vnum ex *B* pergendi in linea *B A*, alterum vero ex eodem puncto pergendi in linea *B C*, cum simul utramque viam inire non possit, intermedio tramite nempe in linea *B D* procedere, quae angulum *A B C* in duas aequales partes secat. Hoc vt in nostros usus conuertamus, si forte instinctus ferinus ex una, atque humanus ex altera parte in contraria trahant sive impellant

pellant animum, ut quidem lucri cupidus rem alienam ad se rapere studet, honestatis autem ratio alterius dampnum concupiscere vetet, eo quasi temperamento utaris, ut de tuo iure aliquid remittas atque eam rem cum aduersario quasi diuidas. Hoc quamquam satis ex superiori figura dignoscatur, potest tamen, si formarum varietas quempiam delectat, etiam ex *Figura II.* clarius reddi. Nempe *Fig. II.* experientia docet, si corpus *B* vi quadam, quae aequalis sit lineae *CB* propellatur ad *K*, simul vero atque eodem tempore illud vi contraria *AB* cogatur versus *E*, cum utroque excurrere non possit, duabus directionibus quasi in unam contractis, per lineam *BF* promoueri, quae est quadrati *ABCG* diagonalis producta. Quo autem quadratum est oblongius, eo angelus *FBE* acutior atque angustior evadet, ut *Figura III.* docet. Id plane verum esse, si *B* nauiculam, *A* et *C* vero vencos vela inflantes esse fingamus, vel pueri cognoscent. Quo quidem loco id minime negare volumus, mensurandi instinctuum vires, rem esse maxime arduam, propterea quod non omnes aequis viribus impellunt, sed ponderibus dignitatum ita differunt, ut etiam infirmiores duo vix habeant potestatem unius fortioris et facies rerum adiunctarum temporumque diuersitas regulas subinde depravent. Apposite apud GELLIVM Theophrastus *): *Has prauitates rerum et magnitudines atque has omnes officiorum aestimationes, alia nonnunquam momenta extrinsecus atque alia, quasi appendices personarum et causarum et temporum et circumstantiae ipsius necessitates, quas includere in praecerta difficile est, moderantur et regunt et quasi gubernant, et nunc ratas efficiunt, nunc irritas.*

C A P V T . X V .

Quid iustum atque iniustum sit? preffus accuratiusque exemplis demonstratur et noua Nomotatices doctrina stabilitur.

Haec de utilitatibus cum honestate, siue, ut nostris verbis dicamus, de instinctum humanorum cum ferinis conflictu generativa monuisse sufficient. Cum autem admodum diuersae in vita quae-

stionēs incidere soleant, quae vna definitione comprehendit hec queunt, operaē pretium videtur, vt singularibus quibusdam (quās tamen in paucas contrahamus,) regulis, tota materia circumscrībatur. Id antequāh facio, verborum quibūs interduci utar, significacionēm praeemonere suuat. Nempe causam individuam eam rem dico, quae commode diuidi non potest. Plerasque tamen res diuiduas esse scias. Etsi enim quarundam ea sit ratio, vt naturaliter scindi in partes nequeant, sed aut totae apprehendendae aut totae aliis sint relinquendae, tamen si satisfieri competitori possit aliis modis, aut huius loco aliud rependi, remuneratio eius rei causa facta, loco diuisionis est. Si forte cuidam cause diuiduae nomina non satis placeant, is diuiduam causam verbo iurisconsultis satis cognito fungibilem, rem individuam autem, si ita videatur, non fungibilem, mē non dissentiente, nominauerit. His sepositis sequitur

Regula I. *Si, in causa dī. v. d. v. a., duo pluresus homines de lucro captando certent, res aequis partibus inter illos dividantur.* Non de damno, sed de lucro hic loquimur, exempli gratia, si quaenam fera bestia ab uno vulnerata, ab altero vero capta, vtrum capientis an vulnerantis fiat? mihi videntur argumenta vtrinque parientes, siquidem capiens non assūcturus erat, nisi fera ab altero capta et apprehensa fuisset. In primis vero, vt diximus, hic considerandum venit, neutrīus damnum, sed merum *lucrum* in medio versari, quamobrem nullā sane causa est, quare feram alterutri totam adiudicemus, sed multo est regulis aequi et boni a nobis traditis conuenientius, vt quoniā res diuidua est, eam inter vulnerantem et capientem aequis partibus distribuamus. Eadem est thesaurii in fundo alieno reporti et rerum omnium ratio, in quibus par est vériusque litigantium communodium. Similiter ubi duo pluresus de damno vitando litigent atque res in eos statu sit, vt commode diuidi possit, damnum aequis partibus vtrinque ferendum esse putamus. Nonne enim aequum est, vt dimidium quisque damni sentiat, quam alterutrum in toto periclitari? Exemplum esto de ariere: Si meus bos siue aries, alterius arietem percussiferit, ciuilis Iudeorum lex


Exod.

Exod. 21. v. 35. Damnum ad utriusque dominum pertinere iussit. Eadem aequitatis norma, si ob sterilitatem agri conductor remissio nem mercedis a locatore petat. Nam licet fructus conducti agri ad conductorem pertineant, atque is mihi certam annuatim mercenam promiserit, miserationis tamen affectus suadet, ut ego opulentior forte, aliquid remittam egeno et pauperi. Scilicet ut plurimum locatores conductoribus sunt locupletiores. Quid autem si vires honestatis et utilitatis non eiusdem, sed diuersae sint magnitudinis, sive, quod eodem redit, si ego facilius re litigiosa, quam alter carere possum, et uterque nostrum de domino vimando laboremus? Id *Figura eadem III.* docebit. Nempe anguli *KBE*, et *FBE*. *Fig. III.* quomodo secundum naturae regulas, diuisio rei litigiosae instituenda sit. ostendunt. Si scilicet laesio alterius, me totam rem adipiscente, aequalis fuerit lineae longiori *AB*, ex aduerso alterum meum damnum, si alter eam adipiscatur integrum, sit aequale lineae breviori *CB*, et res, ut ponimus, sit diuidua, mea portio rei litigiosae erit aequalis angulo *FBE*. alterius autem portio aequalis angulo *KBE*. Est hic fere brevis in titulum *de transactionibus* commentarius, qui docere possit, quomodo secundum aequalitatis regulas transfigere cum aduersario debeat is, qui recti conscientia beatus esse cupiat? Sed, aliter se habent omnia, si de re contendimus, quae diuidi non possit, sive cum in eum casum res veniat, ut aut totum obtainere, aut totum amittere necessarium sit, de qua reopus est alia regula, quam statim subiiciam.

Regula II. Si in re INDIVIA et non fungibili, quae adhuc sit adquirenda, meum lucrum planè sit aequaliter lucro alterius, adeoque per excide utique redundet utilitas, quisibet sibi nec ipsi proximior potest nem praetipere alteri, sine ullius conscientiae doloribus. At si res sic utilior alteri quam mihi, abstinentiam atque illa potius cedentem alteri: verbi gratia, si diues et pauper honorem seu munus publicum ambiant, pauperi opulentior cedat, propterea, quod is sine hoc officio publico vix vivere possit. Vna tamen videtur huius regulae EXCEPTIO: Si mei lucri es alterius lucris diffe-

differentia adeo sit exigua, ut pro nulla haberi possit. Eadem, quae in lucro captando, est etiam in damno vitando regula, scilicet ubi in tempora incidamus eiusmodi, ut alterutrum circa suam culpam laedi necessarium sit, atque duo de re quadam contendentes eam, utpote individuali obtinere nequeant, tunc meum vitabò damnum potius, quam alterius. Exempla poscis? Ecce, si naufragi duo pluresue tabulam in medio natantem, necdum ab ullo occupatam, anhelent. Est enim utrinque lucrum aequum magnum, nempe vita conseruatio. Generatum igitur illud atque perpetuo valeat! In rebus individualibus, si omnia sint paria, lucrum proprium anteponendum lucro alterius aequali, et damnum proprium potius cauendum, quam alienum, si illud aequum magnum futurum sit. Haec ita se recte habent, si laesio utriusque ex amissione metuenda, plane aequalis videatur, in damno autem dispari et inaequali, sequens regula valebit:

Regula III. Si de damno, in quod forte fortuna et circa neutruius culpam inciderunt, vitando duo pluresue contendant, atque res sit individualis, tunc is, qui re amissa minus laeditur, damnum pati tenetur, et rem litigiosam cedere alteri, cui ex amissione res maius detrimentum imminet. Finge iti viae angustia currui meo alterius currum aequum onustum obuenisse, atque necessario alterum retro pellendum esse, nomine si caetera sint paria, ille cedat, qui minori cum damno potest? Finge, inquam



me ab A usque B profectum, alterum autem a C longiore via ad eundem locum B deuenisse, tunc ego recedam haud gravatim, etiamsi fortior aut dignitate sum praestantior. Haec res tam certa est, ut demonstratione haud indigeat. Nam si is, qui longorem viam emensus est, recedere debeat, sequeretur: hunc teneri, cum suo maiore damno, meum leuius incommodum auertere, quod ab omni ratione alienum. Sin autem in medio viae currus conuenient,

fint; et aequē onusti; cæteraque omnia pars sint, ne Areopagiticam hanc quaestionem putes et indissolubilem, infirmior fortiori cedat, per regulam nostram secundam. Sed hoc ultimum non est huius loci, in quo non de aequali, sed dispare dāno disputamus. Aliud igitur ex regulæ nostrae conuenientius exemplum adducamus. Utile sibi quippiam aureis fortasse litteris in mea charta inscius scripsit Titius, aut in mea tabula egregium quid pinxit Apelles. Quæritur vtrum tabula picturae, chartaque scripturae cedere debeat? Cum tabulae aut chartae, vtpote rerum fungibilium, dominium contra voluntatem amittere, sit leuius damnum picturae scripturae *iactura*, cedet merito picturae tabula, et scripturae charta.

Hactenus lucrum proprium cum alterius lucro, et iacturam nostram cum alterius iactura, tam in rebus individuis quam diuiduis, expendimus, quod fieri omnino potest. Cae*re* autem, ut tuta commoda et lucra, cum alterius damno, in lance ponderes, quod fieri ratio vetat. Non sunt enim eiusdem qualitatis. Ut enim propria commoda non omnino omittenda nobis tradendaque sunt aliis, ita e contrario lucrum non tam cupide quaerendum, vt nobis vnicce inferiendo aliis noceamus. Id postrema regula cauet, superioribus multo intricior, qua expendimus, quid hominibus faciendum sit, quoties in rebus, quae commode diuidi non possunt, vnius lucrum cum alterius damno configuat.

Regula IV. *Nunquam in crux appetamus cum alterius domino.* Hoc decretum verum esse et naturae consentaneum, vt demonstrare possimus, ante omnia reuocandæ iam supra traditæ lucri cessantis et danni dati definitiones. *Damnum* est, quoties alteri res, quam possidet, auferuntur. *Lucrum cessans* est, quoties alicui spes adipiscendæ rei intercipitur, rei, inquam, adipiscendæ, id est eiusmodi, quam alter nondum possidet, nec sibi stipulatus est, sed habiturus erat, ni alter obstitisset. *Lucrum cessans* vero minus makum esse quam *damnum* datum, eo, quem diximus, loco ostendimus. Itaque, vt nostram hanc difficultam regulam exemplis

plis confirmemus, licet naufragium passo, tabulam in medio natantem alteri praeripiendi ius sit, (nam pars est utriusque rei ratio, utrinque lucrum, si potius intur, utrinque damnum si amiserint, aequale,) tamen si occupatam possessamque alter alteri tabulam extorserit naufrago, turpe dixerim et inhonestum facinus, quia hoc lucri, illud vero damni speciem habet. Maiorem quippe dolorem parit, amittere aliquid, quam non adquirere. Occupare ergo licet natantem in mari tabulam, non autem occupatam extorquera. Similiter, licet mortem tibi et vulnera minaritem occidisse atque ferientem referuisse, poena omni caret et vitae conseruandas studium in omni animante sit flagrantissimum, tamen si in ponticulo latro in meam perniciem armatus stricto gladio me persequatur, ut nisi deiecto, qui forte in hac angusta via me praecedit, homine, caedem effugere nequeam, nullo modo tamen hominem innotescem, qui in eodem ponticulo casu antecedat, meae salutis causa deiicere fas est. Neque ordinariam homicidii poenam effugiet, qui in carcere, etiam iniusto modo detentus, custodem occiderit, ut capitis periculum attereret. Nam si morte iam destinatus effugiat, adeoque libertatem, quam non habebat, consequatur, id lucri speciem praese fert, at vero qui innocentem gladio feriat auctoritate deiiciat, dubium esse potest nemini, quin verum damnatione inferat. Nunquam aliter lucrum et utile quaerere licet, quam si nemini hoc facto noceamus aut saltum non tantundem detrahamus, quantum nobis ipsis adiacerimus. Itaque multum interest inter inculpatae tutelae moderamen et caedem innoxii hominis, quem nostrae saluti deuouemus. Nam latroni in nostram perniciem armato parcere, nihil est aliud, quam lucro alieno cum nostro dissipatio inservire, quod omnino est contra officium ex ferinis instinctibus ortum, quod nobismet ipsis debemus. Alia igitur est hostis et latronis, alia amici aut innocentis hominis caedes. Enascentis enim mihi ex vitae conseruatione lucrum aequale est damno alterius. Turpissimum vero alterius damno lucrum captare. Hanc neinpe rerum, ut diximus, in una lance appensio fieri non debet,

debet, quia lucrum quidem nostrum cum alterius luoro et damnum nostrum cum alterius damno metiri licet, nunquam vero lucrum proprium cum alterius damno. Plane, ut in iure ciuili, compensationi non locus est, nisi inter eos, qui sibi in vicem debent, neque liquidum cum illiquid, neque diuersum genus cum diuerso genere compensari potest, ita in nostro totius mundi iure lucri cessantis et damni dati nulla est proportio. Huius rei hoc quoque exemplum est: si cuius amplissimum hereditatem expectas, eum animaduertas in loco velle considere, quo aspis lateat, licet tibi pauperiori forte maximum emolumentum allatura sit eius hereditas, tamen iuris gentium, quam tradidimus, regulam praecipit, ut de aspide latente admoneas. Nam hereditas tibi lucrum, mors illi damnum est. Eadem ratione adulteria naturaliter turpia. Nam voluptas quaeritur cum alterius dolore. Multo minus exponere licet liberos, aut alimentis, quae etiam immorigeris debentur, subtractis, in commodo eos afficere, quos procreare commodum visum; neque si in bello captus te in seruitutem addixisti, aufugere permisum, cum vi extortum non possit pactum dici, quod vitae seruandae causa cum victore iniisti. Iterum dico atque praecipio, ne gaudia cum alterius dolore comparare audeas, quia diuersi sunt generis et quia gaudium non tale in mundo bonum, quam mors alterius malum est. Aurum cum auro expendatur, et aes cum aere; non autem aeris cum auro expensio fiat. Ergo ut iterum iterumque repetamus, nostra, quam tradidimus, iuris naturalis doctrina praecipit quidem, ut naturales instinctus, qui cum a Deo sint, mali esse non possunt, in rebus plurimis sequamur et utilitatis nostrae, quantum possumus, rationem habeamus, ita tamen, ut nemini noceamus. Non licet ergo in summa inedia mactato homine famem sedare, nisi forsitan fortunae et sorti rem plures esurientes commiserint. Tunc enim, quem fors designat, vi pacti iure moritur. Nec scio sane anne secundum eandem, quam tradidimus, regulam, ius Germanicum legibus Romanis sit aequius in vindicatione rei a fure

ablatae. Nam si domino euincendi potestas datur, nonne is, qui a fure bona fide emit, citra culpam damno afficitur? Dominus qui furto rem amisit, si recuperet, lucro potitur. Damnum quidem a fure passus est, adeoque ab hoc recte vindicat, non autem a fraudis inscio emtore, qui vbi restituere tenetur, dominum rei furtuae suo damno reddit locupletiorem. Recuperare scilicet et adquirere unum idemque sunt. Utque eum, qui mala fide alterius rem possidet, eam usucapere nunquam posse, certissimum: ita e contrario titulo oneroso quae sitam usucipientis addixerim, propterea, quod domino, qui amisit, non usucipientis culpa aut dolo, sed casu damnum illatum est, a fure, a quo etiam restitutio nem petere licet, non autem ab emtore. Si enim hic gratis restituere teneatur, hoc usucipientis manifesto damno fieret, dominus autem recuperans lucrum habiturus esset. Si vero usucapiens non emerit, sed inuenierit, tunc domino restituti iubeo.

E contrario autem *Nemo tenetur, suo damno alterius lucrum quaerere*. Si quis hoc fecerit, laudatur quidem, sed nulla est prodita ad id peragendum necessitas seu obligatio. Quod si enim admodum magna et infinita etiam totius humani generis gaudia nostrae salutis dispendio quaerenda esse statuamus, hoc absurdum consequeretur, ut ei, qui orbem terrarum seruare possit ab interitu, etiam aeterni cruciatus sustinendi sint, a quo natura non illa tantum omnibus animantibus communis, verum etiam hominibus propria abhorret atque refugit. Dum orbis consistit, nondum inuentus est, qui in aeternum miser esse voluerit, ut aliis bene esset. Ipsum religionis C H R I S T I A N A E statorem, tametsi plura quam villes homo aliorum salutis causa perpeccum theologi doceant, tamen ultra tres dies non genuit in inferno, quibus entensis adscendit in coelum et adscitus est, post superatos labores, in imperium et societatem omnipotentis patris. Neque apud Romanos C V R T I I D E C I I que se pro patria deuouissent unquam, nisi aut gloriae expectatio, aut melioris in beatorum insula habita-

habitationis spes eos instigasset. Nemo ergo tenetur cum suo dispendio aliorum commodis studere, quia hoc concessio, unusquisque ad aeternos sine fine cruciatus, si alios beare possit, offerre sese deberet, cui dicto reclamat omnis sensus; reclamat ratio, et omnes notitiae, quibus imbuti sumus. Nam mente careat, necesse est, qui malum sine spe fructus amplioris appetat. Alter ut lucro potiatur, debeone innocens ego in egestate et ignominia viuere, ac ne viuere quidem, sed dolere, cruciari ac mori? Hoc statuere, quid quaeso aliud, quam delirare et furere. Sed videamus, an haec regula nullis vnuquam exceptionibus subiaceat.

E X C E P T I O R E G U L A E Q V A R T A E; Damnum quidem nobis alterius salutis causa non subeundum, neque e contrario lucrum cum alterius damno appetendum, *NISI forsitan incommodum meum inde redundans tam exiguum sit, ut prae maxima, quae inde alterius paratur, utilitate, nullum putari possit.* Nonne enim patiaris, ut de tuo lumine, meum possim accendere? nonne mihi collapso manum porrugas? Inhumanum sane, ni feceris, quia ex hoc enascens incommodum adeo exiguum, ut nullum videri possit. Sane apud Gellium *THEOPHRASTVS:* *Parua vel tenuis turpitudo vel infamia subeunda est, si ea re magna utilitas amico quaeri potest* - - - *Nam cum in rebus aut paribus, aut non longe secus, utilitas nostri et amici consistit, nostra procul dubio praeponderat.* Cum vero amici utilitas minus est amplior, nostra autem in re non graui leuis iactura est, tunc quod utile amico est, id prae illo quod utile nobis est, sit plenior. Contingere etiam potest, ut lucrum meum ingens et certum, damnum autem alterius incertum sit et quasi in ambiguo pendeat, quod si acciderit, nescio, annon appetere lucrum debeam, si forte idem illud detimento alteri fore possibile quidem, sed parum probabile sit. In qua re negare tamen non possum paria fere, quae utrinque proferuntur, argumentorum pondera diu fluctuantem animum sustinuisse. Nam cum se-

semel regulam probassim: Non esse cum alterius damno nostrum commodum, neque alterius lucrum nostro damno parandum, nulla mihi videbatur adesse sufficiens ratio, quare ullam exceptionem admitteremus, per quam semel stabilita doctrina labefactari posset. Ita enim argutabar: Si in extrema fame frumenti furtulo mortem effugere possim, furtum hoc nihilo minus esse, licet poena aliquantulum mitiganda videatur. Inprimis vero cum ad mathematicas meas, quas supra proposueram, figuras redirem, nullam vniquam huius regulae exceptionem admittendam esse, videbar mihi quasi manibus deprehendere et oculis videre. Nam,

Fig. IV. tam et si in *Figura IV.* quadratum *FKCR.* quantumuis oblongum facias imo versus *H.* in infinitum producas, nunquam tamen accidet, ut *GBE*, quem *Angulum Poenae* appellare licebit, nullus omnino sit, neque fieri vniquam potest, ut linea lucrum designante *FB.* in infinitum producta, contra linea *B. C.* qua damnum alterius indicauimus, infinite parua, interutramque diagonalis procurrrens *BG.* plane in lineam *BE.* incidat, licet quo quadratum est longius, eos angulus *GBE* acutior atque minor euadere soleat. Haec vbi subtilissime et accuratissime consideraueris, omnem huius regulae exceptionem excludere videntur. Exigua quidem est temporis iactura, et incommoditas parua, qua lumen meum praebeo, ut tuum accendere possis, aut lapsu manuum porrigam, ut pro nulla haberi possit; Attamen, si fecerim nonne ille, quem ita subleuauit, mihi gratias agat? Aget vero et: rependat tibi Deus! reuerenter dixerit. Nonne vero haec gratiarum actio etiam in his minutis humanitatis officiis peragenda indicium videtur longe certissimum, iure neminem teneri, ignem praebere aut sublapsum erigere. Si enim ad haec praestanda iure tenemur, vnde quaeſo alterius oriatur ad gratias agendas obligatio? Igitur initio quidem non haec solum, quae retuli, mediū detinuerunt, quo minus nunc tandem admissae exceptioni regulae subscriberem, verum etiam in primis illud, quod etiam si concedatur infinite parua pro nullis habenda esse, nemo tamen huc

huc usque definierit, quanta nostra esse debeat, quae aliorum causa negligi debeat utilitas, aut e contrario quantum esse debeat lucrum, quo alluente exiguum alterius damnum non reformatum sit? neque punctum illud quispiam demonstrauerit, quo vel alterius vel nostrum incommodum, si cum ampliori, quae inde redundet, luero comparetur, nullum videri possit. Quid ergo, ita enim antea argumentabar, quid, inquam, refert nimis vase et indeterminate dixisse: interdum nostra comoda negligenda esse, si amplissima aliis, amicis potissimum, voluptas quaeri possit? quid refert e contrario indicasse: interdum praegrandem utilitatem nostram cum leui atque exiguo alterius detimento parandam esse, nisi illud simul doceatur: si discedendum sit a certa et ab omnibus recepta regula, quo usque degredi debeamus? Haec omnia fateor maximis et in extricabilibus propemodum difficultatibus esse implicita, ut parum abesse, quin, vt cunque etiam tempora incidere possint, nunquam utilitates nostras cum aliorum vel maxime exiguis incommodis parandas esse, sine omni exceptione verissimum iudicare; in primis cum seviores quidam *) ne colaphum quidem ferendum esse alterius vitae conseruandae causa, immo furem rei minimae occidi posse, si iudicis copia non sit, neque spes appareat; alio modo rem meam recuperandi, statuant.

Nihilominus tamen, cum animaduerterem ipsos mathematicos interdum eo detinire, ut res minimas pro nullis habeant, atque cogitarem in rerum natura nullum esse orbem omni parte rotundum, nullam lineam omnino rectam, multo magis existimauimus in iuris et morum doctrina minuta quedam negligi et pro nullis haberi posse, adeoque et illud tandem statui: Nostras utilitates cum alterius damno quaerendas non esse, nisi illud cum nostris commodis longe maximis comparatum, nullum videri possit. Quousque autem quis procedere, et quanta debeat esse inter utile, et alterius damnum

E 3

pro-

*) Grotius lib. 2. c. 1. §. 10. Puffendorf lib. 2. cap. 5. §. 11.

proportio, ut hoc nullum videari possit, cum res tota vtpote a temporum, locorum et personarum maxima varietate pendens, certis regulis includi non possit, ynjus cuiusque sensui relinquendum esse. Nam in omni demonstratione postremo loco ad sensus experientiam deuenimus. Ceterum hoc caput ia toto iure naturae difficillimum puto, neque satis a doctis hominibus demonstratum, quid ne indicatum quidem. Admissimus tamen, licet grauatum et quasi reluctantem illam, de qua diximus, exceptiōnem, vt damno alterius si hoc nullius fere momenti sit, vtilitates nobis et lucra, vt ita dicam, praeponderantia, quaeri possint. Huius rei infinita exempla non singi tantum possunt, sed singulis diebus cuilibet quotidiana in vita obuenire solent. Nos breuitatis admodum studiosi quaedam proponamus.

Si tyrannus TITIO mihi ignoto homini caput amputare minetur, nisi ego mihi digitum abscindi patiar, praebeam forfasse digitum et subiiccam securi; at si brachio meo aut pede uno alteroue caput possum alterius liberare, an simile faciam? Nempe fato, quoniam Titius suo in tyrannum incidit, si mortem imminentem effugiat, hoc ei *lucro* cedit, mihi vero, cui tyrannus minus iratus est, iactura brachii non leui *damno*, sed vtriusque rei, vt saepius diximus, nulla compensatio, nulla proportio, neque damnum, quod brachio amputato mihi imminet, est eiusmodi, ut pro nullo possit haberi. In extrema fame, si, vt mortem depellam, panis frustulum auferam abundanti et saturo, quae situm est, an furti tenear? Tametsi furtum esse non negem, tamen quia damnum hominis opulentis, si cum praegrandi vitae conseruanda lucro comparetur, fere nullum existimari possit, poena erit valde exigua pauperrimi illius, qui panem subtraxerit. At si esurienti et inedia confecto alter etiam esuriens panem extorserit, summum nefas, vt supra in exemplo eius vidimus, qui in ponticulo, vt imminentem cetuici gladium effugeret,

effigeret, praecambularem in flum deicisset. Infame hoc et inexcusabile factum, nisi forte subterfluens amnis aqua minus foecundus minusque exundans sit, ut sine vitae aut membrorum periculo ille praecipitari possit. Hoc etiam videamus: An alienam hereditatem blanditiis captare liceat? Non nego quidem, quae prensando, obsequendo, adulandoque capit, eam scelere hereditatem quaeri. Nam omnis machinatio, omne mendacium, omnis adulatio, omnis calliditas ad circumueniendum alterum adhibita; fraudis nomen habet et crimen merito putatur, propterea, quod nemo mentitur, nisi sibi illud vtile videatur. Non dubium ergo, quin deceptione senis cuiusdam creduli, sibi lucrum quaerere, turpisculum putemus. Nihilo minus tamen, cum damnum eius, quem captator blanditiis demulceret, prae illo maximo hereditatis lucro tam exiguum sit, ut (quia homines falli cupiunt) pro nullo haberi possit, non omni quidem hi captatores crimine carent, attamen excusati peccant, atque si non veniam, tamen poenae quandam mitigationem merentur. Neque tamen omnem mendacium turpe. Nam si eo nemini noceas sed pro sis potius, etiam pulchrum et admodum honestum est mendacium. Quis non aegrotos aut infantes fallat, ut melle oblitis poculis tetra decepti absinthia bibant?

Vt autem in his alijsque exemplis, in quibus cum alterius minori damno lucra nobis maiora parantur, nec non de vero sceleris et poenarum gradu in iis rebus, quae veniam merentur, dijudicare possis, iterum rationandi computandique arte, nempe Mathesin, quae omnium *quantitatum scientia* dicitur, in auxilium vocabimus. Nempe quotiescumque de metienda magnitudine agitur, siue illa in corporibus siue in doctrina de moribus, siue in iuris scientia obueniat, eam figurae geometricae comodiissime demonstrant et ipsis oculis subiiciunt. Si ergo in *Figura IV.* lucrum *Fig. IV.* vius *AB* aequale fuerit alterius damno *CB*, tunc turpitude illius, qui tantum sibi adiicit, quantum alteri detrahit, (quod factum furum appellamus) atque inde promerita poena erit aequalis angulo

DBE.

DBE ; quem 45. gradum mathematici vocant. Hoc posito, et concessio, consequens est, vt quo maius vnius lucrum, atque quo pusillus damnum sit alterius, eo plus poenae quantitas decrescat, Fingamus igitur damnum alterius aequale esse lineae BC , lucrum vero meum aequale lineae maioris FB , tunc poena multo superiore minor erit, nempe aequalis angulo GBE . Atque similiter in aliis causis. Nempe necessarium est, vt quo latius producatur linea lucri mei BF versus H , siue quod idem est, quo amplior sit nostra utilitas, et quo tenuius alterius damnum CB , eo plus *angulus poenae* decrescat.

Iam quia poenarum varios gradus lineis angulisque expressimus, tribus verbis etiam de honore et proemio exponam. Huius autem rei admodum facilis est demonstratio. Nam quoniam poena et honor contraria sunt, consequens est, vt, quemadmodum in superiori *Figura IV.* si quis cum alterius danno BC suam utilitatem FB quaeluerit, poena erat aequalis angulo GBE , ita, quia contrariorum contraria est ratio, gradus honoris, quem consequaris, si id minime feceris, sed tuum potius commodum omiseris, quam alteri noceres, consequitur inquam, vt honoris ex eo redundantis gradus aequalis sit angulo LBG , qui semper ita crescit, vt angulus poenae GBE decrescit.

Fig. V. Ergo si in *Figura Quinta* CB denotet magnitudinem alterius damni, AB vero magnitudinem mei comodi, tunc si non appetierim, angulus honoris atque proemii LBD fere nullus, poena autem, si appetieris, maxima erit, nempe talis, quae angulo DBE respondeat. Sunt enim illi duo anguli unus nempe honoris, alter poenae seu opprobrii ex adiacentibus siue continuis, vt Mathematici loquuntur. Igitur in Figura superiori II. si meum damnum AB plane aequale sit alterius damno CB , tunc si concupiscam et praeripiā alteri rem individuam, anguli honoris et opprobrii aequales sunt, h. e. siue appetierim rem utriusque concupitam, siue omiserim, nec honor erit, nec dedecus.

CAPVT

C A P V T XVI.

*Conclusio totius Operis et breuis Repetitio eorum, quae
disputata fuerunt.*

Vereor autem ne nimis longa videatur de collisione officiorum siue de appetituum ferinorum atque humanorum contentionibus instituta a nobis disputatio. Sed, quoniam perplexa res est et difficillima, breuius dici non potuit. Videmur autem nobis quasi nouam doctrinam et neglectam antea iuris naturalis partem exegirasse, nempe, ut ei nomen imponamus: *Nomosticen*, quae ratio quasi est mensurandi et ponderandi leges, ut si collidant officia, nec ambo simul seruari possint, quae lex fortior sit atque potentior, nobis appareat. Cum autem Ius et Obligatio duo sint, ut philosophi loquuntur, correlata, nunquam fieri potest, ut *ius* viius cum alterius *obligatione* collidat. Tendunt enim ad idem. At vera ius viius cum iure alterius, et cum obligatione obligatio collidere quam saepissime solet, quod si fiat, ad Nomostices regulas, quas tradidimus, res examinanda venit.

Ne autem in hoc labyrintho versaturis Ariadnes filum desit, breuiter summam totius disputationis memoria recolamus. Probauius scilicet, omnem iustitiam Primis Naturae initi, haec autem duplicitis generis, nempe aut ferinos instinctus esse, aut humanos. Ferinos quidem principium et quasi columnas videri iuris *Naturalis*, quod natura omnia animalia docuit, contra vero appetitus humano generi propios principia esse iuris *Gentium*, siue illius, quod natura solos homines docuit. Naturalis iuris prima regula, *utilia quaerere*, sed gentium iuris primum decretum, *neminem laedere*. Hae duae supremae omnium leges si inter se collidan, quatuor Nomostatices regulae nos viam rectam docuerunt, quae hoc potissimum praecipiunt: nunquam amplectandas esse proprias utilitates cum alterius laesione; Nam etsi ferini appetitus illud suadeant, prohi-

bet tamen miserationis affectus et dolor, quem in hominis pectore suscitat laesio atque iniuria alteri illata. Itaque haec duo: *suas utilitates quaerere et neminem laedere* ita coniungimus, ut in scribenda noui principii formula, tam ad propriam quam ad communem utilitatem respiciamus, certissime nobis persuadentes, non ex alterutro principio, sed ex vtroque iurisprudentiam neci. Nam praeter comodorum desiderium et appetitionem voluptatis, inest etiam, ut mihi videtur, nescio quid, et latet in animo et sensibus nostris, efficiens, ut etiam alios felices esse cupiamus. Hae insitae in nobis honestatis notitia, hic miserationis affectus, et oriundi ex aliorum malis in animo nostro dolores, nisi vim suam in homine exercuissent, crede mihi H O B B E S ! non tuae arces, non fulgentes vndeque, quos fingis, et districti omnium in omnes gladii, non metus denique ullus tantum valuerint, ut genitalem feritatem extuo aliorumque animis excuterent et ad humanitatem incitarent. Instinctus ergo est, qui nos humanos facit; nec ullum noui, quem cum natura non esset, doctrina bonum fecerit. Tandem in fine disputationis principii atque tituli recordamur, scilicet, ut Iuris Naturalis proletarium nomen ac fere contemptum euitarem, et taedium auerterem, *Ius Mundi Vniuersale* libellum inscrispimus, exemplo G R O T I I , qui suum librum Ius Belli et Pacis dicere maluit, quam Ius Naturae. Occasionem autem hoc in primis nomen praesigendi nobis praebuit hic L V C A N I versus:

Sed neque ius mundi valuit, neque foedera sancta Gentibus.






Fig. I.




Fig. II.




Fig. III.




Fig. V.




Fig. IV.

Piguet sc.



+Z205457009

Digitized by Google

